



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Margarita Poenitens. 22. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

132 VITÆ SANCTORUM. 22. Feb.  
cum nemo unquam dignius, & majore  
Ecclesia bono tulisset, anno M. LXXII.  
cum vitâ posuit; vel eo solo nomine,  
quòd Officium Horarium D. Virgini sa-  
crum in memoriam & usum pristinum  
revocavit, omnibus Sodalibus memo-  
randus, ex cujus divinissimis scriptis,  
vel hos versiculos, quos suo tumulo in-  
scripsit, recoluisse operæ pretium sit:

*Vive memor mortis, quò semper vivere  
possis: (ecce venit.*

*Quidquid adest, transit; quod manet,  
Quam benè providit, qui te malè munde  
reliquit, (mori.*

*Mente prius carni, quàm tibi carne  
Ex Surio & Baron.*

*Ei, qui omnia elargitus est, universas  
opes dato; nunquam Dei liberalitatem vin-  
ces, quamvis omnium tuarum facultatem  
jacturam feceris, quamvis te etiam facul-  
tatibus adjunxeris; Nam hoc quoque ipsum  
accipere est, Deo aliquid donare. S. Na-  
zianzen. Orat. de amor. pauperum.*

S. MARGARITA POENITENS.  
22. Februarij.

**M**ARGARITAM hanc in Perusino  
agro invenimus: nitorem ejus in  
juventa Amor turpis extinxit, restituit  
deinde D. Francisci disciplina. Viro  
nobili olim, imò Veneri serviebat. Is  
domo



22. Feb. VITÆ SANCTORUM. 133  
domo quandoque abiit, cane comite.  
Hæc post dies non multos lacinia pre-  
hensam MARGARITAM ad struem li-  
gnorum deduxit, oculis, latratuque ro-  
gare visa, ut ligna amoveret. Amovet,  
Dominum agnoscit; sed jam mortis lar-  
vam. Enim verò exhorruit, & in alieno  
vultu suum contemplata, formam, mun-  
dum, & ante omnia vitam priorem la-  
crimis damnat. Et abluerunt hæc brevè  
latentem in coeno MARGARITAM;  
vitæ rigor velut scalpellum pulcherri-  
mam reddidit, ut jam prodigiis splen-  
deret. Et primò, ne VIRGINIS im-  
memorem putes vixisse, id precibus exo-  
ravavit, ut dolores, quos stans illa ponè  
crucem pertulerat, etiam ipsa persentif-  
ceret. Sensit, & sub horam tertiam in-  
ter manus multorum collapsa, inde horâ  
nonâ motienti Christo commori, nec  
nisi sub vesperam redire in vitam visa est.  
Aliàs Crucifixo in hærens multa gemitu-  
bus rogabat, cum è cruce Christus:  
*Quid vis misera? Illa, Nihil aliud præter  
te Domine. Ignosce MARGARITA, a-  
vara nimium es. aut verò dic, poteràsne  
amplius exigere? Ex Ann. Minorum.*

*Ecce qualiter manu mittit, quali præmio  
honoras suum diabolus servitutem, ut mors  
simul & finiat vitam & inchoet pœnam?  
at qui Christo serviunt, illus à morte, cum  
stipendiis sanctitatis perpetuam transferun-  
tur ad vitam. S. Pet. Chryf. serm. 114.*